Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2363

Quelle:
Copyright:

Tum poſt plura ejusmodi, Deique invocationem:

Et cum de uitiis tractet liber iſte fugandis.
Hinc fuga peccati pretitulatus erit.

Dicatur igitur Opus *Philippo Aquarum Sext.* in *Gallia* Archiepiſcopo, qui, ut docet *Gallia Chriſt. T. I. col.* 315. ſaltem ab a. 1251. ad a. mortis 1256. ſedem tenuit. Quare Poema inter hos annos concinnatum fuerit. Quid vero de Autore *Petro* ſtatuam, ignoro, niſi quod Clericum ejusdem fortaſſe Dioeceſeos fuiſſe adparet. Nemo enim *Petrorum*, qui Verſibus operam dedere, praedictis annis convenit. Inclinabar quidem in *Petrum de Riga* ſive *Rhemenſem*, cujus *Auroram* multis Codicibus retuli, ſiquidem is annum 1263. ultimum vitae habuiſſet, ut *Altamura* in *Bibl. Dom.* et ex eo *Fabricius* in *not. ad Scriptt. eccl. Trithemii n.* 388. dixit; verum lapſum coarguunt *Altamuram Quetifus* et *Echardus* in *Scriptt. O. Praed.* T. I. p. 117. qui *Petrum Rhemenſ.* ordinis fui cum *Petro de Riga* confuderit, annumque hujus emortualem 1209. e *Chronico Alberici* et *Bulaei Hiſt. Univ. Pariſ.* ſtatuit idem *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* L. XV. p. 277. Res itaque judicio in *Galliae* Hiſtoria lit. magis verſatorum tantiſper relinquenda. Tractat porro Poema de ſic dictis Vitiis Capitalibus: *Gula*, *Luxuria*, *Avaritia*, *Acedia*, *Superbia*, *Invidia* et *Ira*, ita, ut *Avaritia* et *Superbia* maximam faciant paginam, neque id generatim modo, ſed omnes earum propagines noxias inveſtigat, non miti manu reſecat, opportunaque adponit remedia, quae omnia ſuis rubricis diſtinguuntur. Ad cognoſcendos certe illius aevi mores non parum facit. Initium eſt ejusmodi:

Uita breuis. uia difficilis. mundique ruina.
Atque dies mortis: te uigilare monent.
Peruigil excubitor uentura pericula cernit
Ne fur uel raptor fallere poſſit eum. &c.

Sub rubrica: *De edificantibus ſyon in ſanguinibus. f.* 40. haec legas:

Accidit interdum quod tres prelatus habebit
Quos ad ſublimes promouet ipſe gradus
Prepoſitus frater conſanguineusque ſacriſta
Dilectusque nepos archidecanus erit. —
Huic preſul confert animarum millia quinque
Cui uix auderet credere poma decem. &c.

Sub